Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25972
Copyright: Admont, Benediktinerstift



Lib

& non in re parua emendauit. quod mundatam ab omnibus malis
animam. & cum patre constitutam. numquam iam mala mundi huius
passuram confessus est esse. Qua sententia profecto abstulit. quod esse pla
tonicum maxime prohibetur. ut mortuos ex uiuis ita uiuos ex mor
tuis semper fieri. Falsumque esse ostendit quod platonice uidetur dixisse
uirgilius. in campos elisios purgatas animas missas. quo nomine tam
quam per fabulam uidentur significari gaudia beatorum ad fluuium le
theum euocari. hoc est ad obliuionem preteritorum. scilicet in memores
supra ut conuexa reuiscant. Rursus & incipiant in corpora uelle
reuerti. Merito displicuit hoc porphyrio. quam reuera credere stul
tum est. ex illa uita que beatissima esse non poterit. nisi de sua fuerit
eternitate certissima desiderare animas corruptibilium corporum
labe & inde ad ista remeare. ea re tamquam hoc agat summa pur
gatio. ut inquinatio requiratur. Si enim quod perfecte mundatur.
hoc efficit ut omnium obliuiscantur malorum. malorum autem obliuio
facit corporum desideria. ubi rursus implicentur malis. profecto erit
infelicitatis causa summa mundatio. nec ueritate ibi beata erit ani
ma. quamdiucumque erit ubi oportet fallatur ut beata sit. Non enim
beata erit nisi secura. Vt autem secura sit. falso putauit semper se beatam
fore. quoniam aliquando erit & misera. Cui ergo gaudendi causa falsitas erit.
quomodo de ueritate gaudebit. Vidit hoc porphyrius. purgatam
que animam ob hoc reuerti dixit ad patrem. ne aliquando iam malorum
polluta contagione teneatur. Falso igitur a quibusdam platonicis est
creditus. quasi necessarius orbis ille ab eisdem abeundi & ad eadem
reuertendi. Quod etiam si uerum esset. quid hoc scire prodesset. nisi for
te inde se nobis auderent preferre platonici. quia id nos in hac
uita iam nesciremus. quod ipsi in alia meliore uita purgatissimi &
sapientissimi fuerant nescituri. & falsum credendo beati futuri.
Quod si absurdissimum & stultissimum est dicere. porphyrii profecto
est preferenda sententia his qui animarum circulos alternante
semper beatitate & miseria suspicati sunt. Quod si ita est. ecce platonicus
in melius a platone dissentit. ecce uidet quod ille non uidit. nec pro
talem ac tantum magistrum refugit correptionem. sed homini prepo
suit ueritatem. Cur ergo non potius diuinitati credimus de his rebus
quas humano ingenio perueestigare non possumus. que animam quoque
ipsam non dico coeternam sed creatam dicit esse que non erat. Vt enim
hoc platonici nollent credere. hanc utique causam idoneam sibi ui
debantur afferre. quia nisi quod semper ante fuisset. sempiternum

causa summa feli
citas. & stulticie cau
sa perfectio sapientie.
& inmundicie

XV.